



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Oriens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

quæ regem addeceant adjecerit ornamenta, moresque & virtutes etiam regias uni illi ante omnia brutâ, ut paulò infra docebimus, elargita sit. Quòd verò pertinet ad provinciarum subjugationem, videre est in <sup>b</sup>C. Cæsaris numo Elephantum promuscide surrecta, adversus quem Serpens quasi concertaturus infurgit: in altero videas Serpentem ipsius Elephanti pedibus obtritum, in quo inscriptio est, CÆSAR. Potes ex illo, laceffitum bello, & ex hoc, confectum intelligere. Neque verò me fugit, Elephantum Maurorum lingua *Cæsar* appellari solitum, quod Spartianus in Ælio Vero tradit, primumque Cæsaris cognomine nuncupatum, qui Elephantum occiderat. Sed inepta hæc inscriptionis causa mihi videtur: crediderim autem potius ad munificentiam spectare qua Cæsar Elephantos exhibuerit.

## AFRICA. CAP. III.

<sup>e</sup> Q. C. Martii numus. <sup>d</sup> Ac altero significare crediderim. <sup>d</sup> Elephantum porrò Pompeii Magni currum subiere Africo triumpho: & in numo argenteo admodum pulchro <sup>e</sup> Scipionis Imper. inscriptio, cuius galea Elephantini capiti speciem habet, inferne aratrum, antè spica posita est: quæ omnia ad Africæ triumphum, & annonam inde largiter advectam spectant. inscriptio, Q. METELLUS.

## V. LEGIO CAP. IV.

<sup>e</sup> Plin 18 c. 7. <sup>e</sup> Scipionis numus. IN militaribus verò signis, Elephantum legionis quintæ vexillis appingebantur: propterea quòd C. Cæsare adversus Lucium Scipionem civili bello decertantes ea legio negotium sibi contra Elephantos dari postulavit, reque stenue gesta reliquæ victoriæ occasionem præbuit.

## ORIENTIS CAP. V.

<sup>d</sup> Vespasiani numus. <sup>a</sup> Philipp. Imp. numus. Sed Augusto currum ex quatuor Elephantis S. P. Q. Romanus in nummis decrevit, quòd, ut puto, spoliis Orientis onustus Imperatorum inde triumphum duxerit. Id honoris Tib. Cæsar post adeptum Imperium patri deferendum curavit, quod ipsa testatur inscriptio, quæ sic habet: TIB. CÆSAR DIVI AUG. F. AUGUST. P. M. TR. PO. XXIII. AUGUST. S. P. Q. R. Eundem honorem Claudius Avia Livia Circensi pompa, currum quippe Elephantorum Augustæ o similem decernendum curavit. Sed & D. Aug. Vespasiano currus ex quatuor Elephantis in numo est, cuius latus alterum inscriptionem habet ad reliquos honores tertii Consulatus: nam qui sua virtute ad Imperatorii fastigii culmen evectus erat, re in Oriente bene gesta, paribus cum Augusto honoribus honestandus fuit: ita Elephas iunctus, provinciam patriam subjugatam hieroglyphicè significabit Est & Philippi Imperatoris numus, in quo Elephantus videtur gradens sub magistro, cum inscriptione, ÆTERNITAS AUG.

## MUNIFICENTIA. CAP. VI.

<sup>e</sup> Antonini Pii & Severi Pertinacis numus. Est autem inter virtutes regias illa, quæ solet ante alias populorum benevolentiam conciliare, munificentia. hac ostentanda magni principes Elephantum plurimum usi sunt. Hinc videas in Antonini Pii numo Elephantem promuscide in semicirculum sursum versus lunata, cuius inscriptio est, MUNIFICENTIA AUG. Utque itidem in numo L. Septimii Severi Pertinacis Aug. Imper. VII. Elephantus: expromuscide in eundem modum curvata, cum eadem ipsa inscriptione, MUNIFICENTIA AUG. S. C. Namque hoc eos spectaculis exhibitos ostendit: atque hic eorum Imperatorum intelligenda munificentia, qui eos modò in certamen committere, modò in saltationem, modò ut surnes scanderent & inambularent, edidère. Quod si ad eorum quoque animalium liberalitatem trahere volueris, sanè munificos hos & liberales invenias, sive ii <sup>b</sup> curatoribus suis, sive etiam <sup>c</sup> puellis, quarum amore se captos ostendere, munera elargiri soliti sunt: quandam enim admirandam eorum in homines benevolentiam, gratumque in educatores animum scribit Ælianus, exemplo illius, qui pro domino multum diuque pugnavit, eumque sagittis interfectum, promuscide sublatum ad præsepe suum asportavit.